QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ Novembris 1710.

M. JOANNE BAPTISTA MONGIN, Doctore Medico, Præside.

An vis liquidorum à Salibus?

I.

NATURÆ indagatoribus nihil minùs obvium, quàm quod intra nos geritur. Hujus scientiam qui se putat nosse, minuit; qui non vult minuere, non novit : scrutando illius opera, eò pervenisse ut quàm proximè ad veritatem accedere liceat, votorum summa, antiquorum labor, Neotericorum felicitas. Quot retro abiere sæcula, quibus omnis Physicorum Medicorumque gens, cùm circa solidarum humani corporis partium σύνταξιν, tum circa liquores qui ejus tubulos permeant, vix manifesti quidquam enucleavit. Elementorum quadriga, idea qualitatum, temperamentorum mensura, obscuræ veteris Medicinæ hypotheses : hæc veluti per manus tradita opinio, omnium animos usque-dum occuparet, ni Chymici clariora detexissent; cave ne barbaris vocibus *Gas*, *Archei*, *alkaest*, decipiaris. Sequere sapientiores, qui in indagandis naturæ operibus, apertiorem viam tenuere. Ex omnium fermè corporum analysi, sensibus obvia principia sal, sulphur, aquam, & terram educunt: ope multiplicis illius, quam servant inter se rationis, patent quæ priùs abdita latuere. In ipsa fluidorum humani corporis analysi, sales sunt stupendæ cùm virtutis, tum mobilitatis, aquæ permixti in motus concitatissimos erumpunt; hi fermentationis & effervescentiæ nominibus insigniuntur; inde, collige illos esse diversæ speciei ac figuræ; solidi qui aliorum poros subeunt, & in acumen desinunt, acidi dicuntur; qui poris pervii sunt, quorum multò tenuiora, magisque ab invicem sejuncta acumina, his alkali nomen imponitur: disce ex anatome, è diversa tubulorum, sensus exquisitissimi, textura, & quamlibet in partem facillimè mobilium, humanum corpus coaluisse. Tum ex locupletissimo Chymiæ penu deprompta, anatomicis observationibus consociando, non perperam asseres, intestinos liquidorum motus in hunc finem esse ab ipsa natura institutos, ut si quid impuri aut heterogenei foret admixtum, hac ratione eliminaretur : hincque figuras & activitatem salium, inde verò fibrarum humani corporis mobilitatem, acerrimumque sensum, simul ad mira-

234

biles naturæ humanæ effectus eliciendos, conferre. Non igitur absque ratione dicitur, vim fluidorum humani corporis ab eorum fermentatione, & in ipsa solida actione, esse repetendam.

II.

SIMPLICES frigoris, caloris, humiditatis & siccitatis qualitates, in medendo despexere antiquorum nonnulli. Hypocrates ab acido, amaro, acri, acerbo, & sexcentis ejusmodi, morborum causas repetit. Chymici à salibus odorum & saporum differentias, deducunt; qui diversi, pro variis illorum figuris ac principiis, quibus permiscentur; absque liquorum permixtione prorsus inertes. Diversa illorum actio pro varietate figurarum & molis, ubi sui juris sunt: nec antè quiescunt quàm aut simul coierint, aut obstantium suæ conjunctioni corporum, partes in imum deturbarint, dederintque præcipites. Ex hoc conflictu, salium quorum partes consonant societas, & præcipitatio corporum, quorum figura cum salibus minimè congruit, quæque pari mole, quibus innatant fluidis, præponderant. Hanc legem cùm reliqua, tum maximè humanum corpus patitur. Ubique conjunctio, ubique dissolutio. Ad nutritionem corporis & restaurationem requiritur succorum, quibus irroratur, tenuitas & figura, quæ quoslibet poros, quoscumque tubulorum diametros posset pervadere, quò liquorum secretiones fierent. Hi effectus à fermentatione repetendi. Quis de his ambigendi locus, nisi apud eos qui, postpositis fermentationibus, trituram ac levigationem fovent? Quî concipi potest, quâ ratione sanguis à corruptis & heterogeneis partibus sese expedire possit absque præcipitatione, quæ præviam habet fermentationem? Fermentatio naturæ instrumentum ad corporis humani tutelam & conservationem; ad ipsam non parum confert trituratio. Quid aliud impetus solidorum in liquida? At quæ motuum ipsorum causa & occasio? Eam non aliter assequeris, quàm solidorum intellecto situ, fibrarumque elasticâ virtute, quibus in præstitutos sibi motus facillimè erumpunt: atqui ambo inertes remanerent, nisi aliunde moverentur. Illud porro agens ipsi sunt sales in liquidis contenti, qui dum sibi ipsis intra fibras motrices occurrunt, fermentationem ineunt; hinc earum contractio & solidorum motus.

III.

QUI ignis ope educuntur sales, à natura sua nonnihil deficere constat. Numne ex brassica, & solano furioso idem sal chymica dat analysis? At hoc veneni, illa verò alimenti rationem obtinet; pro diversis ignis gradibus diversi, ex eodem vino, spiritus eliciuntur. At qualescumque sint ejusmodi mutationes, diversos in plantis sales ne existimes. Plantæ ex ipsis terræ visceribus idem sal mutuantur, illud certâ aquæ quantitate dissolutum, ejus subit

canales. Pro diverſa plantæ textura & ſolo, quamquam diſſimili formâ, ſemper idem. Salis partes eſſentiales non obnoxiæ alterationi, præterquam larvatæ mutationi, à varia principiorum mixtione procedenti. Sal ab admixtis principiis expeditum, priſtino ſtatui & energiæ reſtituitur. Hinc colligere eſt, ſales qui ab ipſis alimentis in noſtros diſperguntur liquores, ab eſſentialibus non diſcrepare, & quamquam variè modificati, omnes quæ in nobis deprehunduntur alterationes, ab ipſis ortum ducere. Sed quale ſit illud ſalis genus, quodnam præclarum illud *Alkaeſt*, quod tot miracula naturæ patranti præſto eſt? Plurimi de chymia aſſiduis laboribus bene meriti, hîc à ſcopo longè declinavere, qui infinitas propè ſalium ſpecies excogitarunt. Quaſi verò unum ubique naturæ ſal, ſed pro variis, in quibus reperitur mixtis, variè modificatum, diverſas ſpecies conſtitueret. Quid enim naturæ legibus & veritati magis conſentaneum, infinitos diverſi generis effectus, uno eodemque inſtrumento produci? Porro tam ſimplex illud principium, nihil aliud eſt, quàm ſal acidum, quod pro craſſiore tenuioreve mole, majori aut minori copiâ, magis minùſve aquâ ſolutum, à terreſtribus pinguibuſque corporibus irretitum aut expeditum; denique pro gradu celeritatis, quo in aliud impingit, innumera gignit phœnomena.

IV.

IN ventriculo tenue quoddam & actuoſum eſt, quo Chyloſis abſolvitur. Omnigenos agit cibos, nullo diſcrimine diſſolvit, præcipuum eſt in promovendis liquorum fermentationibus inſtrumentum. Primaria ſanitatis & morbi cauſa: quandiu æquâ ratione cum balſamicis alimentorum ſuccis permiſcetur, corporis liquores congruenti inter ſe diatheſi donantur. Corpus vegetum eſt, & bonâ fruitur valetudine: ubi ab unctuoſis, quibus cohibebatur ſubſtantiis, ſe proripuit, aut nimiâ phlegmatis copiâ, nimiove premitur viſcoſæ materiæ pondere, tum nulli non morborum generi obnoxium efficitur. Quidquid ſalibus coërcendis, ubi in motus vehementiores ruunt, aut viribus iiſdem addendis, ubi ſopiti jacent, confert, illud corporis ſtatum aut immutat, aut priſtinæ ſanitati reſtituit. Quorſum itaque tam ſimplex, tam cuilibet obvia, à pleriſque doctrina exploditur? Ipſamet vera per ſe trituratio, abſque fermentationis ſyſtemate ſtare nequit: ex diverſis corporis liquoribus prodeunt ſapores, ergo illos ſale diverſæ molis impregnari, cenſendum eſt. Hæc opinio aliam excipit; nempe diverſas ſalis ſpecies, diverſis operibus perficiendis, eſſe deſtinatas. Sales in ventriculo ſtagnantes acuminati ſunt, penetrantes & aliquâ mole donati; inde liquet eos diſſolvendis alimentis eſſe comparatos. In ſanguine multò ſunt tenuiores, minúſque craſſitiei obtinere intelliguntur, ut tubuli, quibus continentur,

ſerventur incolumes; nec à vehementioribus ſalium mucronibus convellantur. Quorſum autem hæc liquorum fermentatio, niſi ut, hac arte, liquores ab heterogeneis partibus ſeſe expediant, idoneique fiant, qui per vaſorum diametros progrediantur? Cur fibras ſales perpetuò ſubeunt, niſi ut ſolida variis motibus concutiant? An alium in uſum ſyſtoles & dyaſtoles motum natura invexit, quàm ut incluſi tubulis liquores, quoquo verſus & in remotiſſimas corporis regiones diffundantur? Hinc igitur concludendum, eos ſolos ad veritatem & naturæ ipſius motuum cognitionem accedere, qui cum fermentatione triturationem putant eſſe conſociandam.

V.

TRITURA inchoari liquida, perfici fermentatione, à ſalibus vim mutuari, ſuadet ratio, probat analyſis, evincit tot experimentorum notitia. Attritu ſolida franguntur ac liqueſcunt, liquida ebullitione depurgantur, ipſa abſque ſalibus plerumque ſunt inertia. Menſtrua quò ſalſiora, in ſolidiora corpora vehementiùs agunt. His tribus, liquores qui corpus alluunt, ſuam referunt originem. Levigatione ſanguini mollities conciliatur; ſincerus evadit fermentationis ope, idoneo ſalium commenſu, amica dulcitudo ipſi conciliatur. Ab hoc ſymmetro quò plus recedit, eò plures in ipſo evolvuntur ſales. Quot ſales, tot ſapores; diverſi pro illorum diverſitate effectus. Horum quamquam infinitæ ſpecies Principi Medicorum habeantur, ſi ad duos ordines revocaveris, à ſcopo non aberrabis. Ut odores omnes referuntur ad ſuaveolentes & fœtentes; ita ſapores ad claſſes acidorum & ſalſo-acrium referendi. Ad ſaporem acidum, acerbus & auſterus; ad ſalſo-acrem, non ſolùm acris-aromaticus, ſed & amarus & lixivius. His quaſi medius dulcis, ſalſo-muriaticus ex utroque exurgit. Omnes ex uno eodem fonte, nempè acido ſale; variant pro diverſa illius cum aliis principiis conjunctione. Pro vario illius gradu, major illorum vis, quæ quò plus deliteſcit in liquoribus, eò magis obſcurior.

Ergo vis liquidorum à Salibus.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Philipp. Bernard de Bordegaraye rei herbariæ Profeſſor.
M. Jacob. Simon Gilles de la Riviere.
M. Ludovicus Lemery, è Regiâ Scientiarum Academia.
M. Petrus le Tonnellier.
M. Joannes Gaillard.
M. Matthæus Dion. Fournier.
M. Joannes Daval.
M. Bertinus Sim. Dieuxivoye.
M. Joannes Boudin, Regi à Sanctioribus Conſiliis & Sereniſſimi Delphini Medicus Primarius.

Proponebat JOAN. BAPT. SILVA Burdigalenſis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1710.

Pariſiis, apud viduam Franciſci Muguet Typographi Regis. 1710.